



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quomodò ad nos perueniat regnum Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Christus etiam veram ordinationem tribuit spiritui & motui cordis, non certo loco vel ritui, Ioan 4 Regnat igitur Christus & viuit in motibus illis spiritibus cordis, vt dictum est, & de his rebus interioribus est regnum Dei, & hos requirit motus à suis subditis.

Secundò oportet vt hoc regnum Christi ad nos veniat: alioqui nos ex corrupta nostra natura nunquam ex nobis ad illud perueniremus. Ideò iussit Christus exorare patrem, vt illud ad nos adueniat. Matt. 6 Adueniat regnum tuum &c. Duplici autem via aduenit ad nos regnum Dei, primum per prædicationem fidei hoc est, quando fides prædicatur & Euangeliū, scilicet quod Christus mortuus est pro peccatis nostris & resurrexit propter nostram iustificationem, Romanor. 4 id est, quod nos per mortem suam liberauit à peccato, morte, & inferno: hoc qui credit corde, & detestatur peccatis, ac cupit sibi exhiberi meritum passionis Christi, illi propinquat & aduenit regnum Dei, Sic dicitur Mat 3 Pœnitentiã agite, quoniam appropinquat regnum Dei, & sic quotidie ad nos peruenit regnum Dei, quoties audimus verbū Dei, & illi obedimus, & sic sunt in regno Dei, & ad illos venit qui obediunt Euangelio, & credunt, timent, atq; diligunt Deū, & proximum suū, qui sunt patientes, benigni, misericordes, &c. Diligenter ergo audire debemus verbum Dei, vt eo magis ad nos veniat regnum eius. Deinde veniet ad nos regnum Dei, quando post resurrectione & iudiciū illud in re accipiemus, vt Christus inquit Matthei. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum: futurum enim est regnum patris, & in illo præparauit diligentibus se, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, Esa. sexagesimo quarto. 1. Corinth. secundo. Et illud ad nos veniet post Christi regnum, quod hic consistit in fide, timore dilectione, iustitia, pace, & gaudio spiritus sancti &c. Et ideò dicitur CHRISTI regnum, quia hic in præsentibus

his motibus regnat & viuit in cordibus fideiū: patri regnū vt nobis donetur Christus suo sanguine acqui-
sivit ac comparauit, modò nos simus hic in regno
Christi: si filius cupit hæreditatem paternam, multo
magis nos regnum patris cœlestis petere debemus.
Idq; maximè cō, ne ab illo excidamus, sicuti Iudei ex-
ciderunt. Sic Mat. 8. Multi venient ab occidente & a
orientē, & c. filij autem regni eiciuntur foras.

3. Tertio, vt Deus noster & saluator Christus in no-
bis plenum habere possit regnum, oportet quotidie
diminui & corrumpi regnum carnis & sathanæ. Sa-
thanæ autem regnum & carnis sunt peccata & vitia
Gal. 5. Opera carnis sunt & c. Quia igitur Christus
regnum in virtutibus interioribus & spiritualibus con-
dis consistit, id est, fide, dilectione, patientia, timore,
benignitate, continentia, & c. Igitur quotidie oportet
mortificari opera carnis & regnum sathanæ extirpa-
ri, vt Christus in nobis viuere & regnare possit. Ad
hoc etiam Deus mittit crucem, infirmitatem, tribula-
tionem & c. vt regnum peccati in nobis destruatur.
Sic inquit Apostolus 2. Cor. 4. quandò is qui foris est
homo noster, corrumpitur, tunc ille qui intus est, re-
nouatur. Rom. 8. Corpus mortificatur propter pec-
catum, & Rom. 6. Vetus noster homo crucifixus est
vt destruatur corpus peccati. Quia igitur regnum
Christi est noua & æterna iustitia & vita, & in corpo-
re nostro hærent reliquiæ peccati, ideo Deus vult vt
corpus hoc aboleatur, & subijcit illud afflictionibus
huius mundi, & denique morti. Est tamen hoc etiam
suauissimum consolationis gaudium in conscientia
quòd scimus huiusmodi pressuras & afflictiones esse
sacrificia, quæ Deo placent & grata sunt, ijsque cum
maximo honore afficitur. Psal. 50. Sacrificium Deus
spiritus contribulatus, cor contritum & c. Roman. 12.
Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam
Deo & c.